



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 83. Medium capitis sexti Joannis verba in decreto relinquendi
excogitatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI.

A.C. 1562.

§. LXXXIII.

*Medium capitis sexti Joannis verba
in decreto relinquendi ex-
cogitatum.*

Pallav. c. XI.

n. 6. & 7.

Cum difficultates, atque oppositiones augeri viderentur, Bovius Ossunensis Episcopus, & Naclantus Clodiensis Antistes inter præcipuos, qui decreta confecerant, loquendi veniam petiere, qua obtenta paucis verbis plenam reddebant rationem illius normæ, quam in concinnandis hisce decretis fuerant secuti, simul exponentes, quanta sollicitudine, quicquid a Catholicis opponi posset, declinare studuerint: verum nihil adhuc confectum erat circa hanc quæstionem, eoquod Granatensis Archiepiscopi verba nonnullorum animos fastidiosa indignatione obrutos tenerent: quocirca Cardinalis Seripandus, e Congregatione egressus, cum de hujus negotii exitu sollicitus esset, ut se magis flectendum exhiberet, inquebat, quod ipse, ejusque socii libenter, si cuiquam in mentem veniret aliqua ratio, prædicta Christi Domini verba ex capite sexto S. Joannis tutius interpretandi ejusmodi medium arrepturi, atque ad opus deducturi essent. Sub idem quoque tempus Seripandus Jadrensem Archiepiscopum rogabat, quatenus Granatensem

tensem conveniret, atque cum eo de-
 super conferens illi proponeret, quod
 additiones, vel correctiones, quas ad-
 hibendas censeret, abs dubio inferendæ
 forent: igitur ambo hi Præsules diu-
 turna deliberatione præmissa consensere,
 ut decreto hæc adderentur verba: *ut-
 cumque juxta varias Sanctorum Patrum,
 & Doctorum interpretationes intelligatur:*
 allatum id fuit vespere eodem die ad
 novum Generalem conventum, ubi ta-
 men non concorditer comprobatum
 fuit; nihilominus Legati, ut quæstioni
 finem imponerent, hæc verba decreto
 inferi consentiebant.

Sæcul XVI.
 A. C. 1562.

§. LXXXIV.

*Examen alicujus dubii circa secundum
 doctrinæ caput.*

Movebatur insuper quædam difficul-
 tas circa secundum dogmatis ca-
 put, in quo agitur de Ecclesiæ aucto-
 ritate in Sacramenta; hujus enim capi-
 tis pars prima his erat concepta verbis:
 „tametsi Sacramenta instituta fuerint a
 „Christo eorum auctore, tamen mo-
 „dus utendi illis Ecclesiæ reservatur,
 „quæ in Sacramentis administrandis
 „consilio, ac ratione agens ipsorum ri-
 „tum variat, sicuti sibi rectum videtur:
 „ostenditur hoc a Baptismi Sacramento,
 „toties in suo ritu variati; nam cum

Pallav. c. II.
 num. 8.